B. N. C.
FIRENZE
1035
30

1035.30

XXXVI
CATII
1594
MISCELLANEE
1035
30
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE

XXXVII
CATH

1035 30

# FRANCISCI CATII
## ORATIO
# Ad S. D. N. Clementem VIII Pont. Max.

*Pro Sereniſs. & excelſo Principe Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce.*

In publico Conſiſtorio habita. VII. Kal. Iulij. CIↃ IↃ XCIIII.

*Cum eiuſdem Ducis nomine obedientiam præſtaret D. N. Illuſtriſs. & Excell. Vir, Comes Franciſcus Martinengus.*



1872

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum, M D X C I V.
SVPERIORVM PERMISSV.

# FRANCISCI CATII
# ORATIO
## Ad S.D.N. Clementem VIII Pont. Max.

*Pro Sereniss. & excellentiss. Principe Carolo Emmanuele Sabaudiae Duce.*

In publico Consistorio habita. VII Kal. Iulij. CIↃ IↃ XCIIII.

*Cum eiusdem Ducis nomine dedicationem praefatur ad Illustriss. & Excell. [illegible], Comes Franciscus Martinengus.*



ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. M. D. XCIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

# ORATIO.

SI quid vnquam Chriſtianæ Reipub. Dei beneficio datum fuit, quo iure optimo lætandum eſſet; id profecto nobis hoc tempore accidit B. P. quo in magnis rerũ difficultatib᷒, ac periculis eũ Pontificem eſſe intelligimus; qui, & longa rerum experientia, prudentiam; & morum vitæq. bonitate, ſanctitatem cum ceteris virtutibus, ita coniungit, vt nihil illi ad tantum munus exercendũ deeſſe videatur. Tanto vero bono, quo nihil maius nihil optabilius contingere potuiſſet; etſi catholicos principes omnes magnopere lætatos eſſe credendum eſt; tamen ob eximiam ducis noſtri obſeruantiam erga Apoſtolicam Sedem, atque ſtudium erga ſanctitatem tuam, mihi non immerito videor poſſe affirmare: Carolum Emanuelem, Allobrogum ducem in tãta lætitia neminem ſuperiorẽ, perpaucos vero pares habuiſſe. Sed, vti rerum humanarum varia multiplexq. viciſsitudo eſt, dum id agit, vt mittat aliquem ex proceribus ſibi coniunctiſsimis, qui nomine ſuo ſanctitati tuæ obedientiam præſtaret; ecce derepente incurrunt hoſtes, non modo ducis ipſius, ſed totius etiam Chriſtiani nominis in ſubalpinam regionem atrociter omnia depopulantes; ita vt ingrauiſcentis quotidie belli tumultibus, populis remedia parans, in hanc vſque diem iſtud officium differre coactus fuerit. Itaque cum primum ei licuit; quamuis non dubitaret, quin ex oratoribus apud te ſuis, iã probe ſanctitas tua intellexerit, quo ſit animo erga Sanctam Rom. Catho. Eccleſiam affectus; tamen vt illuſtriorem etiã, atque expreſsiorem voluntatis ſuæ ſignificationem tibi, P.O. & huic ſacro atq. ampliſsimo Card. Collegio daret, eiuſmodi quempiam ſibi eo nomine mittendum iudicauit, in quo & dignitas ineſſet ea, quæ ad tantæ rei magnitudinẽ requireretur; & aliæ præterea cauſſæ, propter quas eum tibi acceptum fore confideret. Miſit igitur eum virum, quem vnũ fere ſemper in maximis negotiis gerẽdis ſibi delegit cum vt eius fidei, vniuerſas, ſi opus eſt, exercituum copias committat; tum etiam, vt omnem in illum regendorum populorum auctoritatem conferat, ac quaſi ducem alterum vices ſuas gerentem conſtituat; miſit inquam Comitẽ Franciſcum Martinengum, qui nomine ſuo ſanctitati tuæ obedientiam præſtet; & iſtam tuam dignitatem ampliſsimam colat; & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, ob tam inſigne beneficium gratuletur; quæque à uere Chriſtiano Principe expectari poſſunt, ea de ipſo omnia large, ac liberaliter polliceatur. Gratulatio autem paullo ſerius facta, quibuſdam eo minus grata videtur habenda, quod ob tarditatem nihil habeat in ſe illius ſuauitatis, quam ſolet plerũq. celeritas afferre; at, ſi id quod re uera eſt, attendatur, ob maturitatem potius, non parum fidei & auctoritatis acquirit. Gratulatur enim Sanctitati tuæ nunc Allobrogum Dux, nõ vt ij faciunt, qui id vnum tantum ſpectare potuerunt, quod tibi aliquando fuit cum ceteris commune, nempe quod Pont. ſis creatus; ſed ut ij, qui rebus probe cognitis ac perſpectis, quas in dies tanta cum omniũ admiratione gerere ſoles; tandem illius curæ demandatum eſſe Chriſtianæ Reip. ſtatum animaduertant, qui & exemplo nos ſanctitatis ad omnẽ

uirtutem incitat; & pietate fouet; & conſilio regit; & uitæ innocentia, ac meritis apud Deum tuetur; nauimq. Petri, quam vndiq. horribiles agitant procellæ, ita gubernat, vt rectum curſum tenere poſſit, atq. ad portum ſalutis tuto contendere. Ita fit, Clem. P. vt ſi minus tuæ dignitati, quam treis abhinc annos ſuſtines, noſtra conueniens videatur eſſe gratulatio; tuis ſaltem iam glorioſe geſtis maxime ſit accommodata. quæ quidem, ſi æqua lance res perpendantur, tanto alijs excellet, quanto certiora eſſe cenſent homines, quæ intuentur; quam ea, quæ vel augurari, vel ſperare licet. Maximus mihi hoc loco dicendi campus ſeſe aperiret, ſi poſſet oratio excurrere; ſed augusta iſthæc præſentia, & ora patrũ grauiſsima coercent orationem, ipſaq. etiã rei maieſtas terret dicẽtem, vt neq. eloqui quod ſentit, audeat, neq. ſi auderet, commode tamen poſſit. Pontificem eſſe, hoc eſt Deum in terris repræſentare, cuius in manu ſit claudere cælũ, & aperire; cuius ad pedes reges ipſi ſuppliciter, ſe abijciant; cui quicquid terrarum Oceano alluitur, quod quidẽ Chriſti nomine cenſeatur, ad nutum pareat; quem vnum omnes intueantur, colãt, adorent; cuius vita omnibus pro exemplo, volũtas pro lege; uox pro oraculo ſeruanda ſit. quis non uidet maximum eſſe omnium, quæ non verbis ſolum, ſed cogitatione etiam cõplecti queunt? quos faſceis, aut quod tribunal; quod deniq. diadema, aut imperium cum hac Pontificia maieſtate comparabitur? Plus ille uerbo, quam omnes ſimul totius orbis reges maximis & opibus & viribus; plus ille ſedens, quam ſi innumerabiles educantur exercitus; plus ille qualibet minima voluntatis ſuæ declaratione, quam ſi maximas cõgeras diuitias, aut omnes quotquot terra mariq. conduntur theſauros, effodias. Me deficit oratio, nec verbum ullũ ſuppetit, quo tẽ tantã, tam amplam digna ſatis ſignificatione complectar. At qualis quantuſq. vir is eſſe debet, cuius fidei hæc eſt demandata prouincia, vt pro dignitate illam poſsit adminiſtrare? næ ille inſtar omnium eſſe debet; qui veluti ex alta ſpecula cuiuſcunque generis homines proſpiciens, oppreſſos erigat; labanteis confirmet; debiles fulciat; mœrentes conſoletur; miſeros ſubleuet; periclitanteis adiuuet; bene animatos magis etiam accendat; tandem errantes ad rectam ſalutis viam reducat. Lætetur ergo, lætetur uniuerſus populus Chriſtianus, exſultet, geſtiat, triumphet Clem. VIII. Pont. quem præcipuum Eccleſia Romana exoptabas, quem omnes uno ore prouinciæ expoſcere videbantur; lætetur inquã eo Pontifice, qui cum optime norit, quæ ad tantũ munus requirantur, ea in ſe non modo non patitur deſiderari, uerũ plene etiam ac cumulate præſtat. Hic ego non nobiliſsimam familiam recẽſeo, liberalium artiũ alumnam, ex qua præcipue innumerabiles I.C. ſuorum temporum facile principes prodiere; non celeberrimam, plurimiſq. eruditiſsimis & fortiſsimis viris affluentem patriam recolo; nõ præterita tempora memoria repeto, quibus in rotæ auditorio auditor ſedebas, in quo quidem munere exercendo ob animi integritatem, ob exactã humani, diuinique iuris peritiam, maximã tibi apud omnes gentes gloriam comparaſti; nõ te Cardinalem conſidero, quo tempore poſt multa quæ tibi fuere impoſita Sedis Apoſtolicæ grauiſsima munera, tandem Poloniæ Legationem tanta cum gloria obiuiſti, nulla vt alia re magis ampliſsima illa prouincia reſonaret, quam nominis tui celebritate & fama; quamplurima alia conſulto prætereo, ex quibus oratores plerunq. ſolent ad dicendum ſibi materiam comparare. nimis hæc

emen-

emendicata viderentur eſſe tuarum virtutum encomia. te Pontificê ſpecto; tuam iſtam in tractandis negotiis maturitatem; in ſedandis Chriſtianæ Reip. tumultibus prudentiam, in præmiis ac pœnis conſtituendis æquitatem; mirum in pernoſcêdis hominum ingeniis acumen, atq. acerrimum in ponderandis cuiuſq. meritis iudicium; in omnibus deniq. Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ rebus adminiſtrandis diligentiam pœne incredibilem. quæ ſingula quam magna ſint quamq admirabilia, nullus eſt profecto, ita rerum humanarum expers, nullus ita rudis, atq. ignarus qui neſciat; at quid maius dici poteſt, quam vt te, nec diuitiarum cupiditas, à munificentia; nec tantarum rerum copia, à temperantia abducere potuerint? Tuæ hæ ſunt peculiares & propriæ laudes, Clem. VIII. quas non fortunæ bonis, ſed tua tuipſe tibi naturæ bonitate, ac virtute comparaſti, tanti quidem momenti, vt cum antea perpauci fuerint, qui eas ſint aſſecuti, tu præcipuus dignus eſſe videaris, quê hoc uno nomine celebrent homines; quem nos, quem poſteri ament; quem oês omnino ætates clariſsimorum virorum litteris ac monumentis commendêt. Sed quid; ago? quo me præcipitem grata hęc tuarum virtutum recordatio trahit? an non id mihi præſertim attendendum eſt, vt cum dici nil poſſit, quod ab aliis iam dictum non ſit ornatius ac elegâtius, me, quam fieri poteſt maxime, indicendo comprimam, ne diutius feſſas longis laudationibus aureis, ieiuna oratione defatigem? Profecto neſcio quo pacto id mihi hodierna die acciderit, quod plerunq. parum exploratis nauigantibus accidere ſolet; qui cum in terram obtutum fortibus oculis figant, & ſi quamlongiſsime à portu abſunt, in altum quippe remis veliſque tracti, tamen ita falſa rei imagine decipiuntur, vt non multum à littore diſtare nauim ſibi ipſis perſuadeant: ita ego totis animis ſenſibus tuis intentus virtutibus, vix orationi vela dediſſe putabam, cum me dicendi fluctibus ferri quamociſſime ſenſi. quare me ad ducis noſtri voluntatem, quam Sanctæ Sedi Apoſt. obtemperâtiſſimam fore ſemper pollicetur, declarandam conferam, quod dum facio, te obſecro atque obteſtor B. P. vt omnia æqui bonique accipias, me vero dicentem aura lenitatis ac benignitatis tuæ proſequaris; vt cum munus meum perſoluero, non tam admirentur homines, quod ego adoleſcês & in dicendo parum exercitatus apud Sanct. tuam, dixerim, quam quod dicentem attente tu ipſe audieris. Duo ſunt meo iudicio, maxima atque præcipua, ex quibus principum fidem, & animi erga Sanctam R. Cath. E. bene affecti propenſionem licet intueri; quorum alterum eſt, quid eorum maiores longo temporum tractu egerint, ſpectare; alterum vero quid ipſi ſidem ſentiant, quæque dent voluntatis ſuæ teſtimonia. ac, vt à primo exordiamur, quis ita rudis eſt hiſtoriarum, qui neſciat, ſexcentos prope ab hinc annos, ſumma ſemper cum religione ampliſſimam Sabaudiæ familiam regnaſſe? quis priſcos illos Amædeos, ac Ludouicos non admiretur? quis multorum etiam memoriam non colat, qui terrenis hiſce rebus contemptis, non imperij fines propagare, aut gloriæ metas dilatare ſibi propoſuerunt, ſed cœleſtium amore rapti, ita vitam ſuam Dei Cath que Eccl. præceptis conformarunt, vt in beatorum numerum adſcribi meruerint? magnum vero eſt, propeque ſingulare huius familiæ decus, atque ornamentum, vt cum tot Principes habuerit, à primis illis quidem vſque ad Carolum Emanuelem numero quadraginta duos; & horum alios Cæ-

ſares

ſtres, alios ſummos Pontifices, omnes ita intelligamus rebus ſanctæ Eccl. augendis, atque ornandis deditos fuiſſe, vt vel in extruendis Sacris ædibus, vel in redimendis captiuis, vel in profligandis ac debellandis hæreticis maximas diuitiarum copias impenderint. Sed, vt vetera omittamus, ne nimis in longū noſtra protrahatur oratio; recens eſt memoria eorum, quæ geſsit Emanuel Philibertus, omnium linguis celebratus, non ſatis tamen vnquam laudatus, vt ab Italiæ finibus hæreticorum incurſus arceret, & nobiliſsimam hanc totius Orbis terrarum partem ab omni contagione intactam illæſamque ſeruaret. quibus id ille egit conſilijs per plures annos? quibus conatibus? quibus ſumptibus? ſed præcipue inter alia eius egregia facta, illud mihi omnium commendatione dignum eſſe videtur, quod oblatam per legatos à Solimane Turcarum rege Ciprij regni recipiendi occaſionem, cum omne quantum poſſet maximum auxilium illi pollicerentur, tanta animi magnitudine reſpuerit; vt regno, cuius ipſe legitimus Rex eſſe poterat, priuari maluerit, quam ſumptis à Chriſtiani nominis hoſtibus auxilijs eo potiri. Verum quia ad finem propero, in his quoque recenſendis diutius commorandum eſſe non cenſeo. quantum enim incrementi, ſi temporis anguſtiæ ferrent, noſtra ſumere poſſet oratio ab ijs ſolummodo rebus, quas ipſi non audiuimus, ſed vidimus; non ex litterarum monumentis percepimus, ſed in ipſis bellorum conflictibus experti ſumus? Dicerem hoc loco, quid Carolus Emanuel pro eiicienda Hæreticorum ſentina geſſerit, quæ in ipſis prope Italiæ finibus tanto cum animorum detrimento iacet: quid, vt occurreret imminentibus periculis, quæ & domeſticos & longinquos proculdubio perdidiſſent: dicerem quantas hinc, indeque copias ſibi comparare coactus fuerit, vt vndequaque erumpentes hæreticos repelleret; eorum conatus eluderet, tela retunderet, impetum frænaret, coerceret audaciam: dicerem quoties ſe ipſum in apertum vitæ diſcrimen obtulerit, vt non oratione ſolum, ſed exemplo etiam reliquos ad mortem pro catholica fide tuenda alacriter obeundā inflāmaret: dicerem quāta ſæpiſsime vſus ſit munificentia, vt exteros populos, his ſaltem propoſitis præmijs, cum aliter fieri non poſſet, ad Dei cultum, & ſanctæ Sedis Apoſt. obſeruantiam alliceret, ac nolentes omnino & inuitos traheret. Ex quibus facile quiſq. diiudicare pōt, quanta ſit in eo pietas ac religio, quantus Cat. Fidei tuendæ ardor; adeo vt, ſi antiqua nouis conferre licet, communi omnes conſenſu dicamus neceſſe ſit, eum & maioribus ſuis parem ſe præſtitiſſe, &, ſi fieri poteſt, longe etiam antecelluiſſe. Quamobrem plane aperteque intelligit Sanctitas tua, B. P. quid ſibi poſsit de Principe noſtro polliceri; quid hactenus contra hæreticos geſſerit; quot ob id hoſtes & clam & palam quotidie experiatur quantopere hinc inde vexetur. Ille quamdemiſiſsime tuæ Sanct. obedientiam præſtat, totum ſe tibi dat, tuæ ſe tutelæ & curæ commendat. Tu tui amantiſsimum Principem amplectere, optimæ voluntatis filium, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obſeruantiſsimum. Pone tibi obſecro ante oculos Chriſtiani orbis ſtatum, Hæreticorum factiones & progreſſus; ancipites ac dubios rerum euentus; maximarum prouinciarum cladem atque perniciem imminentem. Ac Dux quidem noſter in limine Italiæ conſtitutus, ſiue Tranſalpinæ ſiue Ciſalpinæ ditionis ſitum conſideres primus hoſtium telis obijcitur: is tamquam

pro-

propugnaculum hæreticis oppoſitum atque obiectum, nullis vnquam vel laboribus vel ſumptibus pepercit. nunc commune eſt periculum, nec illi ſoli pertimeſcendum. & vt aquæ impetus aggerum oppoſitu diu retentus ac retardatus, ſi erumpat tandem, & quaſi effractis repagulis liberũ nanciſcatur curſum præceps fertur, ac non ſpectantes modo, verum etiam longinquos horribili fremitu terret; ita perditorum hominum ruentes cætus, ſi per aliquod tempus frænum ſuis impoſitum conatibus ſentiant, vbi primũ inde ſe exoluere queunt, oĩbus contemptis legibus, furere bacchari, longeque progredi, multo quam antea deteſtabilius ſolent. Pleni ſunt & veterum & recentium hiſtoriarum libri, Barbaros expugnatis ſubalpinorum viribus, quam facillimum aditum ſibi aperuiſſe, ac veluti fulgnr infeſtum per totam Italiã miſerabiliter excurriſſe. Quare, vt finem dicendi faciam, tu is es, B.P. qui maxima potes, quod eſt auctoritatis, maxima noſtri, quod eſt ſapientiæ; reliquum eſt, vt velis, quod eſt bonitatis: qua fretus Dux noſter, breui futurum ſperat, vt omnium Chriſtianorum Principum, ac populorũ conciliatis inuicem & coniunctis voluntatibus S. R. Cat. E. ſtatum confirmes atque augeas. O nos beatos; o te Pontificem Maximum ac Beatiſsimum, cum dies illa fulgebit, qua Principes Cath. cernamus glorioſe imperare, hæreticos depreſſos, totum terrarum orbem Sanctiſsimis tuis pedibus prouolutum Chriſti vicario ex animo obedientiam præſtare. Hoc quidem totus ſibi catholicorum orbis de tua ſumma integritate pollicetur. Quod ſi eueniet, habebit a te familia tua memoriã nominis ſempiternã, poſteritas vero exemplum ſanctitatis excolendæ præclariſsimum. Interim, vt cæpiſti, perge Clem. P. Ducem noſtrum, & vniuerſos eius ſtatus paterna complecti caritate. Ille ſuas vires, ſtudia, induſtriam tibi pollicetur: ille ſuos populos, ac ſuam ditionem vniuerſam, proprios etiã filios prumpto animo deffert, vt tuæ voluntati atque tuis conatibus in chriſtiana re ſuſtinenda ac promouenda ſeruiat, & vitam ipſam te duce atque auctore pro Chriſti gloria aſſerenda profundat. Ita Deus Opt. Max. à quo quæ bona ſunt emanant omnia, & te tamquam Patrem, & illum tamquam Filium tuæ ſanct. obtemperantiſsimum quamdiutiſsime ſeruet.

D I X I

# *Siluij Antoniani S. D. N. Clem. VIII. Cubiculi præfecti & Secretarij Apoſt. Reſponſio iuſſu eiuſdem S. D. ad præcedentem orationem reddita.*

NOBILIS ORATOR. Ad orationem tuam, ita reſponderi iubet S. D. N. Quæ Sanctitati ſuæ tributæ ſunt laudes, ſe eas non agnoſcere. At veterum Sabaudiæ Principum religionem, & gloriam, ad omnem poſteritatis memoriam illuſtribus monumentis commendatam, omni in loco, & in hoc præſertim Sacro, & ampliſſimo celebrari, gratum eſt valde Sanctiſs. D. N. ſed illud in primis iucundum, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis fortiſſimi præſtantem virtutem, & pietatem hodierna die, veris laudibus ornatam eſſe. gaudetque Sanctitas ſua & Duci ipſi gratulatur; quòd tam præclare conſeruet optimam à maioribus acceptã hereditatem; quorum illud fuit præcipuum ſtudium, pro fidei Catholicæ propugnatione nulla pericula refugere; prælia Domini præliari, de Christiana rep. bene mereri, hanc Sanctam Beati Petri Sedem, & Romanam Eccleſiam vnicam Catholicorum Principum matrem, colere obſeruantia ſingulari. Et illorum quidem veſtigia, ita perſequitur Carolus Emanuel Dux, vt hereditariam laudem, magno ſuorum meritorum cumulo, quotidie magis adaugeat. Hanc igitur obedientiam, ab eodem Duce Sabaudiæ, per te ſpectata virtute, & nobilitate virum, de more præſtitam, libenter accipit Sanctiſſimus D. N. vna cum his venerabilibus fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus eique viciſſim omnia paternæ caritatis officia amantiſſime pollicetur. Deumque orat vt difficillimis temporibus, tam inſigni pietate, & animi magnitudine Principem, vna cum Cariſſimis liberis, quos parentis, aui, maiorumque ſimillimos eſſe Sanctitas ſua optat, & ſperat, diuinæ gratiæ ſuæ præſidio perpetuo tueatur.

2
1035 30

99 956751

Digitized by Google